

De Divisione.

569

put, manus, brachia, pedes, & alias partes quantitatem habentes, suaque quantitate quantitatem totius corporis constituent.

10. Hæc divisio iterum duplex est, nempe vel totius integralis similis vel dissimilaris.

11. Divisio totius integralis similis est, quâ aliquid dividitur in partes quantitativas ejusdem naturæ, ut cum aurum dividitur in plures partes quantitatem habentes, quæ ejusdem sunt rationis seu naturæ, seu quarum quælibet est aurum.

12. Divisio totius integralis dissimilaris est, quâ aliquid dividitur in partes quantitativas; quæ diversæ sunt rationis & naturæ, ut cum corpus humanum dividitur in carnem, ossa, &c.

13. Nota: Divisio hæc (nempe totius integralis, quatenus est divisio per se) fieri debet in partes præcisè ut quantæ sunt: si enim considerentur partes ejus ratione alterius accidentis, quod ad naturam hujus totius non spectat, non est divisio totius integralis per se, sed per accidens, e. g. cum statua lapidea dividitur in plures partes, quarum alia est alba, alia nigra, alia viridis &c. est divisio per accidens: licet
enim